VIRO.
Magnifico, summe Reverendo, Doctissimoque
Domino
Martino Chladenio
S. S. Th. D. et P. P. O.
celeberrimo
S. P. D.
M. Martinus Schmeizel
Corona Transilvanus Saxo.

Qui illustre nomen Tuum, meritaque in Ecclesiam maxima tacitus licet & ignotus jam dudum apud me veneratus sum in conspectum jam Tuum benignissimum prodeo, cultumque illum quem nominis Tui reverentia expressit interpretibus his literis declaro pariter atque significo, spe fretus fore, ut verecundiam hanc in meliorem partem sis accepturus, quae ad te tantum virum viam affectat, quod eo tendit ut cognoscas, me in illorum esse numero, qui singulares animi Tui dotes, laudabilem comitatem ac celebrem doctrinam admirantur atque depraedicant.
Ne vero gratis primo hoc aditu te compellare

324 v

videar, ecce offero censurae Tuae munusculum aliquod chartaceum, inter docentis labores academicos elaboratum, quo pro virili Jesuitae pragensis famosissimi strophas ac imposturas retundere annisus sum, pro vindicanda historicae veritatis fide. quod ut aequi bonique consulas est quod etiam atque etiam oro rogoque. Atque hoc prima scriptionis hujus caussa est.
Altera est, ut tuas instituto patriae nostrae in bonum vergenti, manus adminiculantes ea qua par est observantia implorem. Desudo jam per aliquot annos, in colligendis rerum Hungaricarum provinciarumque illi Regno annexis Scriptoribus, eorumque et fugientibus editionibus ad prelum revocare paro; ante vero quam id fiat, animus est prodromi quasi loco Bibliothecam omnium quotquot ad meam notitiam venire potuerunt, Scriptorum, per certas classes distributam luci exponere publicae. cui instituto ut pro singulari tua benignitate conferre velis, tuam

vir Magnifice imploro auxilium, erit, crede, ubi
proſperitas hoc tuum me narrante, audiet benefi-
cium. Deus Te ſervet, Eccleſiæ omnibusque bonis
in ſolatium. vale & Fave nominis Tui cultori
devotiſsimo. Scribebam Jenæ A. O. R.
MDCCXVII. d. 17 Julij.